Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

passim labentibus tectis multa hominum milia prostrata sunt. Decimo persecutio
nis anno Diocletianus ab inuito exegit Maximiano ut simul purpuram
imperiumque deponerent ac iunioribus in rem publicam substitutis ipsi in priuato
ocio consenescerent. Itaque sub uno die Diocletianus apud Nicomediam, Maximi
anus apud Mediolanum potestatem imperii simulque cultum deposuerunt. Galerius
et Constantius augusti primi Romanorum imperium in duas partes determinauerunt.
Galerius Maximianus Illyricum Asiam et Orientem, Constantius Italiam Affricam et
Gallias obtinuit. Sed Constantius uir tranquillissimus Gallia tantum Hyspaniaque contentus
Galerio ceteris partibus cessit. Galerius duos cesares legit, Maximinum quem in
oriente constituit et Seuerum cui permisit Italiam. Ipse in Illyrico constituit.
precetu u Constantius uero augustus summe mansuetudinis et ciuilitatis
cessit in o in Brittannia morte obiit, qui Constantinum filium ex concubina

De Constantino et matre eius Helena

Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit. Anno ab urbe condi
ta MLXI Constantinus XXIIII ab augusto gubernacula imperii a Constancio
patre suo suscepit, que uno et XXX annis felicissime tenuit. Occur
ritur mihi subito et tripudiis quibusdam insultatur. Heia inquiunt tandem in fo
ueas nostras diu expectate uenisti. Hic te decursurum operiebamur, hic
te lapsum opprimimus, hic confossum tenemus. Sustinuimus te actenus artificio
scilicet quo modo et callide fortuitas temporum mutaciones christianorum ultionibus
coaptantem, et interdum quadam uerisimilium specie permoti, ut putares homines
ignari diuinorum secretorum timore palluimus. Sed nunc euacuauit Maximia
nus noster omnem scenam fabule tue, nostreque religionis antiquitati columpna
inexpugnabilis fulsit. Per annos decem euerse sunt ecclesie uestre ut et tu fate
ris, dilacerati cruciatibus, exinaniti mortibus toto orbe christiani. Tenemus
euidens testimonium tuum nullam superiorem persecutionem adeo uel grauem uel
diuturnam fuisse. Et tamen ecce inter tranquillissima temporum bona ipsorum quoque
imperatorum qui ista fecerunt inusitata felicitas: iam nulla domi fames, nul
la pestilentia, nullum foris bellum nisi uoluntarium quo exerceri uires non
periclitari queant. Res preterea humano generi hucusque incognita mul
torum simul regum patiens consortium et magna concordia potestasque com
munis alias numquam sicut nunc in commune prospiciens. Deinde etiam quod absque ulla
actenus mortalium noticia est, imperatores illi maximi quippe et persecutores
honore deposito et assumpta quiete priuati sunt, quod beatissimum homines
et summum bonum uite bone iudicant. Et hoc tamen uidetur in primi loco aucto
res persecutionis adepti sunt, quando accensa persecutio medio sui tempore